



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

6. Ejus oppugnatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

piternas. Explicat glossa in Jobi cap. 31. orbis & spiras has serpentinās: Visum inquit, sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensus opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio. Relege vestigia luxuriæ: quid reliquit, ubi voluntas assensu deliquit, nisi mœstas & turpes in memoria imagines, opacas in intellectu tenebras, tectam in voluntate nauseam, fœda in somnis spectra: infamem in nomine notam, immensum in toto homine ob præterita mœrorem, ob præsentia pudorem, ob futura horrorem. En quibus flexibus hoc firma serpentinum volvatur; quò absinthio hic favus & mel temperetur.

VI. (f) Quare si sapis, Bellerophontem imitare, conscende Pegasum, arripe Mercurij frameam, decerta strenuè adversus Chimæram; ne terreat prima fronte occurrens leo, furiosæ, inquam, vis libidinis. Generoso contemptu hoc *pecoris bonum*, ut Seneca loquitur, vincitur; regat ratio appetitum, & altior, velut in Pegaso eminens attendat, quid honestas velit, non quid inconcessa voluptas suadeat. Moveant exempla in hac palæstra præcedentium: *potuerunt illi & illa*, fac tu quoque ut possis. Post leonem *hircus* superandus; fœtor ipse absterreat, & infamia vitij turpissimi, ipsis etiam, quos tenet, exosi & erubescendi. Jam *gladio Mercuriali*, hoc est, obfirmata voluntate non peccandi (Josephum Ægyptium cogita) *draconis* est cauda truncanda; scilicet titillationum initia præcidenda, hoc est, primæ cogitationes repellendæ, ne in spiras multiplices & nodos insolubiles, delectationes, aio, & desideria lethifera, girentur & implicentur.

VII. (g) Quid autem sibi vult, quò Bellerophon excussus Pegaso, fordidam humum mento premat? discant hic modestiam illi, quos vel doctrina, vel conscia virtus, sublimius attollit. Pauli dictum est 1. Corinth. 8. *Scientia inflat*. Securè vis inequitare Pegaso, frena curiositatem *sciendi*; ut si tibi videris sapere, cogita multò plura esse, quæ nescis, quàm quæ scis. Septem illi Græciæ Sapientes etiam inde hoc nomen meruerunt, quò aureum tripodem nemo eorum sibi servare voluerit, sed Delphos ad Apollinem remiserint. Cujuscunque doctrinæ flumen sis, redeat hoc in ortum suum, hoc est, Deum. Deinde Bellerophon castus, alato dejectus equo hoc quoque te doceat, ut memineris haud paucos post accerrimas pro virtute & integritate pugnas depugnatas, post reportatas à Libidine victorias, post liliatos Castitatis

R 2

trium-

(f) *Adversus Chimæram seu serpem libidinem quomodo pugnandum.* (g) *Causa Bellerophontis modestiæ docet.*